

Eckhard

De nominibus
scholarum.

1731



P. 110.



3
DE
NOMINIBUSSCHO-
LARUM

APUD GRAECOS

EDISSEREBAT HAEC BREVITER,

CUM AD

DECLAMATIONES

E

RE LITERARIA

D. XVII. APRILIS, CID IDCC XXXI.

AB HORA I. POST MERIDIEM


IN AUDITORIO MAIORI

HABENDAS

LITERARUM PATRONOS ATQUE FAUTORES
OMNI, QUA FAS EST, OBSERVANTIA ET HUMANA-
NITATE INUITARET

M. TOBIAS ECKHARDUS, R.

BLANCOBURGI
LITERIS STRUVIANIS.



Disseruimus alias de nominibus scholarum apud Græcos, eorum inprimis, qui peculiaris sectæ fuerunt conditores. Superfunt alia, præsertim ea, quibus generatim scholæ apud Græcos appellantur. In his primo loco collocandum merito ipsum σχολῆς *scholæ* nomen, quod Græcum est, & otium significat, sed *honestum*, in qua qui versantur, minime sunt otiosi, etiam cum otiosi sunt. Bene nomen exponit Antonius: a)

- - Graio schola nomine dicta est,

Iusta laboriferis iribuantur ut otia Musis. Eruditissimus Hildesienfium antistes, D. Reimannus, ad ætatem Theophrasti nomen hoc refert, cum scribit: scholæ nomen *Theophrasti æuo ad sapientiæ designandas officinas iraductum est.* b) Nonnihil tamen antiquius videtur, si præfecturam scholæ, non ætatem Theophrasti respicias. Etenim Diogenes Cynicus Euclidis σχολῆν vocauit σχολῆν, *bilem*, eo quod ad litigiosas disputationes duceret. c) Fuit autem Euclides Socratis discipulus, & Platonis æqualis, quos inter & Theophrastum Aristoteles interjectus est. Idem Diogenes gallum pennis nudatum *eis την σχολῆν in scholam* Platonis attulit, dixitque: *hic Platonis homo est.* d) Accedit, quod cum Aristoteles ad Philippum Macedoniae regem est profectus, vt Alexandrum institueret, Xenocrates fuerit *σχολαρχῆς της εν Ακαδημια σχολῆς. Academicæ scholæ præfectus*, vt refert Laertius. e) Ipse etiam Aristoteles leges *εν τη σχολῆ* tulit, Xenocratem imitatus. f) Obiit Plato olympiade cviii. Theophrastus vero olympiade xiv. Aristoteli in scholæ regimine successit; g) illorum tamen temporibus vixit, vt pote qui Platonem quoque audiuit. h) Eodem significatu vox ea legitur Actor. xix. 9. vbi σχολῆ *Tyranni* commemoratur, in qua Paulus relicta synagoga per duos docuit annos. Proprium hic nomen Tyrannus esse videtur, qui vel patronus vel præfectus scholæ fuit, quod Erasmo Schmidio, Vitringæ, Jo.

(a) Id. XXXII. v. 6. b) Historia vocum L. L. p. 98. c) Diog. Laertius L. VI. f. 24. Stanleius Hist. Philos. P. III. c. 2. p. 264. d) Laert. L. VII. f. 40. e) L. V. f. 2. f) Laert. L. V. f. 4. g) Laert. L. III. f. 2. L. V. f. 36. h) Laert. L. V. 36. i) Animadu. h. l. Vitring. de Synag. vet. L. I. p. 137. Majus obs. sac. L. III. p. 89. i) Animadu. h. l. Vitring. de Synag. vet. Lib. I. p. 137. Majus obs. sac. L. III. p. 89.

Jo. Henr. Majo F. & aliis probatur. i) Longius petita est nominis ratio, quam dat Jo. Lomeierus, quod a facultate & vi dicendi, qua animos audientium ad voluntatem ducere potuit, inuenerit nomen. k) Nullum occurrit indicium, fueritne Tyrannus ille Judaeus, & schola Judaica, an Graecus? Prius existimat Viringa Drufium secutus, eo quod Ebraeum nomen *Tyrannus* apud scriptores Talmudicos frequens, & a Syro expressum sit: quia vero Paulus gentium Apostolus erat, & non semel relictis peruiacibus Judaeis ad gentes jam transiit, Act. xiii. 46, xviii. 6. videri possit, ex gentium, vel saltem profelytorum numero eum fuisse, ab Euangelio non alienum, ex praecipuae dignitatis Ephesi viris, vel Asiarchis, Paulo minime infensis, v. 31. qui & scholam aluit, & Apostolo praesidium aliquod praestare potuit. Nisi velimus dicere, fuisse gymnasium Tyranni alicujus olim sumptibus exstructum & ciuitati donatum, quod conditoris retinuerit nomen, quae Arcularii est sententia. l) Graecum hoc σχολης verbum obseruante Viringa, in Ebraeum tum sermonem jam fuit receptum, quod Syrus interpres etiam retinuit. Α σχολη noua deriuata vox est σχολειον, quae ludum significat literarium, & apud Hesychium, Aristophanis scholiasten & Suidam legitur, apud veteres autem scriptores haud facile occurrit. Alterum nomen est γυμνασιον, quod exercitationibus corporis principio proprium fuit. Sic enim Hesychius: γυμνασιον γοπος, εν ω αγωνιζεται. Sic intelligendus est Aelianus, vbi mentionem facit pontis προς γυμνασιον prope gymnasium qui erat, in quem se Diogenes Cynicus, mox moriturus abiecit. m) Craneum intelligitur, in quo eum degisse, & tandem obiisse testis est Diogenes Laertius. n) Etsi vero Diogenes in eo etiam docuit, qua de causa Craneum alias Diogenis vocari scholam diximus; locus tamen exercitationum corporis ibi etiam fuit, & hoc loco intelligitur. Docere id queat, qui commemoratur, παλαιστρεφυλαξ custos palaestrae; cui Diogenes in mandatis dedit, vt mortuum sese in fluiuium abjiceret. Accedit, quod prope Corinthum ludi Isthmici haberentur, ad quos Apostolus i. Cor. IX. 24. s. respicit, eoque & ibi gymnasium fuit, in quo exererentur prius decertaturi. o) Hinc Laertius Craneum di-

);(2

cit

k) Dier. genial. Dec. I. p. 151. f. l) Comm. h. l. m) Var. Hist. L. VIII. 14. n) L. VI. f. 77. o) Perizon. ad Aelian. VIII. 14.

cit το πρό της κορίνθου γυμνασίου, *gymnasium ante Corinthum*. Ita
 etiam legitur I. Maccab. I. 14. & 2. Maccab. IV. 9. ubi Jafon in-
 gentem pecuniae summam promisit Antiocho Epiphani, si Hie-
 rosolymæ γυμνασιον και εφηβειον (fortasse legendum εφηβειον) ex-
 struere sibi liceret. Josephus etiam γυμνασιον vocat, p) quod
 locum exercitationum corporis fuisse, vel propterea minus dubita-
 tionis habet, quia in posteriori libro v. 14. παλαιστρα vocatur, &
 η του δισκου προκλησις *projectio disci* commemoratur, Eratautem
 disci projectio genus certaminum, quae vsu obtinebant in olym-
 picis reliquisque Graeciae ludis. Modum projiciendi disci co-
 gnoscamus licet ex illo Propertii: q) *Misile nunc disci pondus
 in orbe rotat*. Diversum itaque hoc genus certaminis fuit a *pī-
 lae* lusu, de quo B. Lutherus interpretatur, id nominans, quod no-
 tius erat. Passim in Graecia & alibi ejusmodi gymnasia fue-
 runt, in quibus corpus exercebant, pars ad certamina publica pa-
 rabantur. r) Dicitur vero γυμνασιον quia γυμνοι *nudi*, non omni-
 bus nudati vestibus, sed leuioribus, quo magis expediti essent, in-
 duti se exercebant, si Spartanos excipias, quod e Thucydide do-
 cet Perizonius, s) & qui oleo inuncti luctabantur. Cursu qui
 certabant, subligaculis modo cincti erant. Hinc Martialis ad
 Matronam: t)

Gymnasium, thermae, studium est hac parte, recede,

Exuimur: nudos parce videre viros.

Translata vox est ad mentium officinas, in quibus animi in-
 genui exercentur in studio sapientiae bonarumque artium. Sic
 Platonis Academia dicitur γυμνασιον προασειον αλωδες, *gymnasium
 suburbanum nemorosum*. u) Et Pausanias scribit, quod Academia
 priuati quondam hominis ager fuerit, γυμνασιον δε επ' εμου, *mea
 vero aetate gymnasium*. x) Et a Seruio Sulpitio *nobilissimum orbis
 terrarum gymnasium* Ciceronis aetate Platonis Academia dicitur.
 y) Fuit Athenis gymnasium, *Ptolemaeum* de auctore sic dictum,
 z) & Adriani, columnis centum conspicuum, a) quae sine
 dubio literarum studiis dicata fuerunt, propterea quod auctores
 litera-

p) Antiq. L. XII. c. 6. q) L. III. eleg. 13. r) Jac. Lydius agonist. sacr. praefat. s) ad
 Aeliani V. H. L. II. c. 5. t) L. III. epigr. 67. Pausan. I. c. 44 u) apud Laertium L.
 III. f. 7. Liuius L. XXXI. 24. x) L. I. c. 29 p. 71. y) Cic. ep. fam. IV. 12. z) Pausan.
 L. I. 17. a) Pausan. L. I. 18.

literarum fuerunt amantes, & posterius bibliothecam habuit ad-
 junctam. *Timoleonteum* vero gymnasium, quod fuit Syracusis, cor-
 poris exercitiis destinatum fuit. b) Tertium nunc succedit
 nomen, quod apud Graecos scholam significat, διατριβη videlicet.
 Suidas exponit ἵστος, ἐν ᾧ τινες μαθηνοῦσι, locus in quo aliqui di-
 sciunt. Ita Aelianus de Aristotele, ἀντιωκεδμήσεν ἀντὶ διατριβῆν,
 scholam contra Platonem aperuit, reddit interpretes, c) vbi lo-
 cum exercitationibus philosophicis dicatum significat. Jamblichus
 Pythagorae scholam διατριβῆν vocat, d) & Plutarchus σχολ-
 λας & διατριβας conjungit. e) A. Gellius Latine sic vocem adhi-
 bet: *interrogavi in diatriba Taurum*. f) Saepe ipsas exercitatio-
 nes literarias atque acroases significat. Aelianus διατριβας dicit
 Antisthenis dissertationes, a quibus Diogenes repelli non poterat.
 g) Lucianus de philosophis scribit, quod ἐν ταῖς διατριβαῖς in disputa-
 tionibus umbratili certamine depugnent. h) Huc referri debet
 Diogenis responsum, Platonis διατριβῆν esse κατατριβῆν, disputa-
 tionem esse consumptionem, quia docendo vires corporis consu-
 muntur; i) quod Salomonis Ecclesiastes c. xii. 12. etiam innuit;
doctrina multa carnis est defatigatio. Verbum διατριβεῖν vulgo
 commemorari, sed tamen etiam differere, docere significat. Plato
 Athenas reuersus διέτριβεν ἐν ἀκαδημία, interpretes reddit commo-
 rabatur, malim docebat in academia, k) quae verba Suidas re-
 petit. l) Ita legitur hoc verbum Act. xiv. 28. Paulus & Barnabas
 Antiochiae διέτριβον versabantur multum temporis cum discipulis,
 non otiosi, sed docentes & praedicantes sermonem Domini, vti,
 plenius effertur c. xv. 35. Quartum nomen est διδασκαλειον, in
 quo docentur pueri & adolescentes. Aelianus de Themistocle
 refert, quod redierit ἐν διδασκαλειῳ εἰς ludum literario; & de Alci-
 biade, quod ἐν διδασκαλειῳ παιδῶν petierit Homerum. m) Liba-
 nius scribit, διδασκαλειον se aperuisse. n) Non itaque Lucas Hol-
 stenius calculum meretur, cum διδασκαλειον proprium fuisse
 nomen scholae Pythagorae existimat, o) Pausanias, etiam

);(3

δι-

l) Corn. Nepos in V. Timoleontis c. v. Plutarchus in Timol. To. I. p. 255. conf. Fabri-
 cius Bibl. Gr. P. I. p. 258. c) V. H. L. I. c. 9. d) in vita Pythag. c. V. p. 50. e) To. II.
 p. 605. f) Noct. Attic. L. I. c. 27. g) L. X. c. 16. h) in reuiuifcent. To. I. p. 410.
 i) apud Laetium L. VI. f. 24. k) Laertius L. III. c. 7. l) voc. ἀκαδημία m) L. III.
 21. XIII. 38. conf. Perizonius ad loc. priorem. n) Centur. epist. 42. p. 105. edit. S. Rev.
 Wolffii, cujus vid. h. l. notae. o) Not. ad Porphyrii vitam p. 12. ed. Kusterii.

παλις διδασκαλεια luctae scholas commemorat. p) Inter sapientum,
 quae fuerunt Athenis, scholas Plutarchus etiam recenset *Palladi-*
um atque *Odeum*, & alibi etiam *Museum*. q) Palladium a Pallade,
 Musarum praefide, nomen habet, studiis literarum apprime con-
 ueniens. Pausanias in Atticis semel ejus facit mentionem, & lo-
 cum ait fuisse judicii, in quo caedis causae agitatae fuerunt; r)
 fortasse & literae habuerunt ibi sedem, vti in Odeo, quo de nunc
 dicemus. Nomen habet Odeum ab *ωδη cantione* vel *carmine*,
 fuitque Athenis theatrum, vbi Musica populus certamina specta-
 uit. Exstructum id a Pericle, interiusque multis sedilibus,
 multisque columnis exornatum fuit. Ante vestibulum columnae
 Aegypti regum aliaque spectatu digna in eo fuerunt, vt a Pau-
 sania inter artificum opera recensetur. s) In Panathenaeis, vt
 Musicorum ibi certamina, quae tibia, vel voce, vel cithara fie-
 rent, celebrarentur, Pericles constituit. t) Rhodiginus scribit, poe-
 mata prius in Odeum fuisse delata, quam in theatro recitaren-
 tur, u) Sed Odeum fuit theatrum, in quo certamina Musica fa-
 cta sunt. Frumenta ibi fuisse vendita, If. Casaubonus ex Demo-
 sthenis oratione contra Phormionem obseruat; quod & Suidas
 jam notauit, monuitq;, Archontis ibi fuisse iudicium. x) Fuit &
 Corinthi Odeum, supra fontem exstructum, vbi sine dubio cer-
 tamina artium in Isthmiis, de quibus Liuius prodidit, instituta
 fuerunt. y) Tertullianus *dignissimum*, inquit, *creditum est stu-*
diorum experimentum, committere artes, corporum & vocum
praestantiam exprimere, praemio indice, spectaculo iudice z) Do-
 mitianus Imp. Romae etiam exstruxit Odeum, in quo varia in-
 stituit certamina tum Poetarum & Musicorum, tum oratorum,
 vt Graece Latineque certarent. a) Neque vnum Romae Ode-
 um fuit, sed quatuor, quae enumerant. Georg Fabricius & Ca-
 saubonus, b) Ingeniorum haec certamina fuerunt, quorum
 facile antiquissima sunt Poetarum, qui veterum Musici erant.
 Ejusmodi certamen etiam iniit Hesiodus, & victor discescit; c)

an

p) p. 94. q) To. I. p. 903. ll. p. 605. Fabricius Biblioth. antiqu. p. 603. r) L. I. c. 28.
 p. 69. s) Pausan. L. I. c. 8. 14. p. 20. 34. t) Plutarch. To. I. p. 160. u) L. 28. antiqu.
 & p. 1562. x) Not. ad Laert. L. II. f. 89. p. 106. y) Pausan. L. II. p. 118. Liui. xxxiii.
 18. z) ad Scorpium c. 8. p. m. 454. a) Sueton. in Dom. c. 5. b) Roma illustr. p. 493.
 Casaub. ad Sueton. l. c. o. oper. v. 580. f. 655. f.

an cum Homero certarit, disquirat cel. J. A. Fabricius. d) *Cer-*
tamina Poetarum pluribus exponit Alexander ab Alexandro,
 e) & nouissime Christian. Gottlieb Schwarzzius, f) *Musico-*
rum Jonsius. g) *Supereft μουσειον, quo de breuiter dicamus.*
 A Musis denominatur, eoque a Lipsio *Musarum aedes* exponi-
 tur, estque idem, quod Musarum templum. Meminit musei,
 Athenis quod fuit, Pausanias, est refert, quod Macedones illud
 sub Demetrio occuparint, praesidioq; firmarint, ab Olympiodoro
 autem fuerint ejecti. h) *Et alibi locorum ejusmodi Musea fue-*
runt, utpote Troezene, i) Stagirae, k) & aliis in locis. Eran
autem Musea fere extra urbem, ut a strepitu essent remota, quod
 Plutarchus tradit. l) *Inprimis celebratum probeque institutum*
 fuit Museum Alexandrinum, in quo publico conuictu gaudeban
 viri sapientes, uti Athenis in Prytaneo. Sed hoc de Museo ali
 bi jam diximus. Illud jam modo addimus, quod inter equestri
 ordinis habiti fuerint viros, qui in conuictum Musei meruerun
 recipi, m) *Medicisque ad commendationem peritiae in arte me-*
dica suffecerit, si Alexandriae essent eruditi. n) Haec praefar
 placuit, cum nostro in Museo alumni quidam nostrae discipli-
 nae, iuuenes ingenui, nobisque commendati, more Graecorum
 ac Romanorum, prodire in publicum, & certamen quasi inge-
 niorum inire decreuerunt, iudicio Auditoribus, quos habitur
 sumus, relicto. Ita vero inter eos opera fuit distributa, ut primur

ANDREAS BERNHARDUS CALVISIUS, Quedlinbur-
 genfis; cujus majores inde ab abauo SETHO, viro eruditissimo
 & chronologo percelebri, orbis eruditus, & ecclesia, hujus inpri-
 mis loci, reuerenter colit, de *Attentione*; deinde

FRIDERICUS CONRADUS DARNMANN, Quedlin-
 burgenfis, qui jam semel in literaria palaestra stetit, de *omni-*
scientia eruditorum; tum

LIBORIUS CHRISTIANUS ENGEL, Stadthaga Schaum-
 burgicus, de *curiositate*; & tandem

JO-

d) *Bibl. Graec. L. II. p. 370. (e Gen. Dier. p. m. 363. f. (f de certamin. veter. Poeta-*
rum atque Oratorum. (g Hist. philos. L. I. c. 18. (h L. I. c. 25. 26. (i Pausan. L.
II. c. 31. p. 184. (k, Plinius Hist. Nat. XVI. 32. (l To. II. p. 521. (m Morhoff.
p. hist. I. 14 p. 149. (n Ammian, Marcell. L. XX. fin. Act. Erud. Germ. P. cxxvi. p. 389.

JOANNES GODOFREDUS ECKSTEIN, Sangerhusa-
Thuringus, qui secundum hic ad dicendum prodit, *de laudibus
ignorantiae doctae*, oratione quisque soluta Latina ex memoria
sunt dicturi, & Quartus in Academiam propediem abiturus
vale vna dicet. Post hunc qui secundo loco dixit *Darmannus*,
cathedram repetet, versibusque germanicis, quos vberè vena
fundit, Auditoribus gratias obseruanter aget. Destinata
huic actui dies est xvii. Aprilis, ab hora prima post meridi-
em. Ex omni Graecia, & aliunde etiam confluebant quon-
dam ad ludos olympicos, vel Isthmios ceterosque ludus, qui certa-
minibus tam corporis, quam ingenii interessent. Spectatores, &
Imperatores quidam ea non sunt dedignati. Speramus, fore
in eorum ordine, qui a Musis nomen, & cum iis consuetudi-
nem habent, qui illorum ad exemplum praesentiam suam per-
honorificam nobis sint commodaturi, & vel hoc ipso iuuentuti
Musis deditae calcar addituri. Quod humanitatis officique li-
beralis genus vt nobis, perbeneuole praesent, omnibus modis
etiam atque rogamus. Si qua ratione demereri hoc quea-
mus, prompti semper erimus paratique. P. P. Quedlinburgi
d. xvi. Aprilis, cio 1000 xxxi.




66 15 26

(X 2590023)

fa-
us
ria
us
is,
na
ta
li-
n-
a-
&
re
i-
r-
ti
i-
is
r-
os
in
in
g
2
in
f
N
J







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DE
NOMINIBUSSCHO-
LARUM

APUD GRAECOS

EDISSEREBAT HAEC BREVITER,

CUM AD

DECLAMATIONES

E

RE LITERARIA

D. XVII. APRILIS, CID IDCC XXXI.

AB HORA I. POST MERIDIEM

IN AUDITORIO MAIORI

HABENDAS

LITERARUM PATRONOS ATQUE FAUTORES
OMNI, QUA FAS EST, OBSERUANTIA ET HUMA-
NITATE INUITARET

M. TOBIAS ECKHARDUS, R.

BLANCOBURGI
LITERIS STRUVIANIS.



3

P. 530.

66 7526

Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Farbkarte #13